[illegible] radices veluti per ora demersa trahunt alimenta radicibus ac per medullas robur corticemque diffundunt. Quid quod mollissimum quidque sicuti medulla est interiore semper sede reconditur, extra vero quadam ligni firmitate, ultimus autem cortex adversum caeli intemperiem quasi mali patiens defensor opponitur. Iam vero quanta est naturae diligentia ut cuncta semine multiplicato propagentur. Quae omnia non modo ad tempus manendi verum generatim quoque quasi in perpetuum permanendi veluti quasdam machinas esse quis nesciat. Ea etiam quae inanimata esse creduntur nonne quod suum est quaeque simili ratione desiderant. Cur enim flammas quidem sursum levitas vehit, terras vero deorsum pondus deprimit. Nisi quod haec singulis loca motionesque conveniunt. Porro autem quod cuique consentaneum est id unumquodque conservat, sicuti ea quae sunt inimica corrumpunt. Iam vero quae dura sunt ut lapides adhaerent tenacissime partibus suis et ne facile dissolvantur resistunt. Quae vero liquentia ut aer atque aqua facile quidem dividentibus cedunt, sed cito in ea rursus a quibus sunt abscisa relabuntur. Ignis vero omnem refugit sectionem. Neque nunc nos de voluntariis animae cognoscentis motibus sed de naturali intentione tractamus, sicuti est quod acceptas escas sine cogitatione transigimus, quod in somno spiritum ducimus nescientes. Nam ne in animalibus quidem manendi amor ex animae voluntatibus, verum ex naturae principiis venit. Nam saepe mortem cogentibus causis quam natura reformidat voluntas amplectitur, contraque illud quo solo mortalium rerum durat diuturnitas gignendi opus quod natura semper appetit interdum coercet voluntas. Adeo haec sui caritas non ex animali motione sed ex naturali intentione procedit. Dedit enim providentia creatis a se rebus hanc vel maximam manendi causam ut quoad possunt naturaliter manere desiderent. Quare nihil est quod ullo modo queas dubitare cuncta quae sunt appetere naturaliter constantiam permanendi, devitare perniciem. Confiteor inquam nunc me indubitato cernere quae dudum incerta videbantur. Quod autem inquit subsistere ac permanere appetit id unum esse desiderat. Hoc enim sublato ne esse quidem cuiquam permanebit. Verum est inquam. Omnia igitur inquit unum desiderant. Consensi. Sed unum id ipsum monstravimus esse quod bonum. Maxime quidem. Cuncta igitur bonum petunt, quod quidem [illegible]